Erratum D iii.

Pro, Nunc tandem regulas aliquot generales accipe. lege, Nũc tandem uniuſcuiuſq; literæ cõpoſitionem accipe.

¶ GERARDVS MERCATOR RVpelmundanus Candido lectori. S. D.

SCIO non defuturos ſycophantas Candide lector, qui rei facilioris, neq; porro (ut ipſi uolunt) neceſſariæ leges præſcribere uitio dent, quaſi de lana caprina ratiocinemur, cum Latinas ſcribendi literas artem præcipimus uel ornatu ſolo commendatiſſimam. Sed expendant hi primum q̃ inhoneſtum ſit, ſi Rex purpura exutus, emẽdicato habitu, eoq; Regia maieſtate indigno prodeat, rurſumq; mendicus purpura. Non enim aliud facit Latinus ſermo, cum neglecto proprio charactere, uel Græcas, uel Germanicas ſe literas induit. Genuinos enim habet typos elegãtes, ſcriptu faciles, & præ cæteris maxime legibiles, quos uel hoc nomine alienis commutari peccatum ſit. Deinde cogitent hoc, nullum artificium tam facile eſſe, quod ut bene fiat, non aliquanto ſtudio prius indigeat, quod ne ab utilioribus ſtudijs diſcentem remoretur diutius, pietatis erit, in breues aliquot præceptiunculas contrahere. Quapropter & nos hic tibi Lector in Latinis literis idem facimus, qua in re ſi quid a noſtro dogmate recedere aliquando lubeat, per me quidem licet, ſi modo ſic maiorem elegantiam, legibilitatemq; demonſtrare poſſis, nam hæc duo excellens quæq; ſcriptura in primis exigit.

VALE. Louanij Nonis Martijs. 1540.

GERARDUS MERCATOR *Literarum Latinarum, quas Italicas Cursoriasque Vocat, Scribendarum Ratio* LOUVAIN, 1540 THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS Octavo